



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Virtute Ac Sacramento Pœnitentiæ Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXI. Argumentum. De necessitate examinis conscientiæ ante Confessionem. Quanta debeat esse diligentia in eo faciendo? Exempla virorum felicitis, ac debilis memoriæ. Peccata linguæ, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94661)

suis subditis in fine visitationis Indulgentiam plenariam, testatur ex Casarubio numer. 16. Gobatus d. tract. 4. de Indulgent. num. 74. ac Roderiquez Q. Q. Regul. tom. 2. quæst. 86. art. 1. Vers. secundò dico. Et ratio est manifesta, scilicet quia Prælati inferiores acquirere possunt ea, quæ sunt Jurisdictionis Episcopalis non solum privilegio, sed etiam præscriptione. Fagnanus in cit. cap. Accedentibus. de Excessib. Prælat. num. 4. Hinc omnes Abbates Regulares posse concedere Indulgentiam 40. dierum, quoties Missam solemnem celebrant, ex privilegio Apostolico, demonstrat Tamburin. de Jure Abbatum tom. 2. disp. 9. quæst. 2. & aliquando etiam Indulgentias plenarias suis subditis elargiri, probat Miranda tom. 2. Manual. Prælat. quæst. 9. art. 2. conclus. 2. Et idem posse Superiores Mendicantium, habetur in compendio eorum Privilegior. Verb. Indulgentia plenaria quo ad fratres. §. 16. Ac ulterius Prædicatores Minorum, & aliorum Ordinum de eorundem Privilegiis participantium posse elargiri Indulgentias suis auditoribus plurium centenorum dierum, ac diversorum annorum advertit Bordonus Variar. Resolut. part. 1. resol. 7. num. 31.

Sextò, è contra, ex hucusque dictis deducitur, nullam potestatem concedendi Indulgentias habere Concilia sive Generalis, sive Provincialia, prout neque Vicarios Episcopales, neque Capitula Sede Episcopali vacante, neque Parochos; licet enim Jurisdictionem Ecclesiasticam obtineant; attamen, quia neque à Jure communi, neque ex speciali commissione Papæ concessa unquam fuit supradictis facultus Indulgentias impertiendi, eas elargiri minimè possunt. Fagnanus in d. cap. Accedentibus num. 16. & 17. de Excessib. Prælat. S. Thomas in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. quæst. 1. Gobatus d. tract. 4. num. 71. Barbosa d. allegat. 88. numer. 21. & Passerinus de Indulg. num. 632, ubi alios plurimos congerit, ac num. seq. 633.

Tandem observandum venit, quòd Indulgentiæ, quæ impetrantur à Papa, publicari non possunt, nisi ab Episcopo loci, unà cum duobus de Capitulo ex decreto Concilii Tridentini sess. 21. de Reform. cap. 9. per quod decretum excludi quoscunque Regulares, notant Bonacina tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 30. num. 9. Barbosa alleg. 105. num. 69. asserens, Regulares subiectos esse Jurisdictioni Episcopi circa publicationem Indulgentiarum, prout testantur plures DD. ibi citati; ac Nicolius in Flosculis V. Indulgentia num. 9. & in suis Lucubrationibus Canoniciis lib. 1. tit. 31. num. 13. de Offic. Ord. pag. 72. Nihilominus Roderiquez Q. Q. Regul. tom. 2. quæst. 98. art. 1. & Pellizarius in Manuali Regular. tom. 2. tract. 8. cap. 5. num. 217. asserunt, quòd Regulares possunt publicare Indulgentias obtentas pro seipsis tantum absque alia licentia Episcopi, quia Concilium Tridentinum d. sess. 21. cap. 9. loquitur de Indulgentiis concessis pro populo. Imò, quod magis est, quando Superiores Regulares soliti essent de per se, & independentè ab Episcopo publicare Indulgentias pro populo in Ecclesiis suis, vel sibi subiectis, absque scrupulo possent continuare in dictis publicationibus auctoritate Rotæ Romanæ, quæ part. 17. recent. decis. 87. num. 22. firmat, in publicatione Indulgentiarum attendendam esse consuetudinem. Et hæc satis dicta sint circa Claves Ecclesiæ respectu ad Indulgentias.

DECISIO XXI.

ARGUMENTUM.

De Necessitate examinis conscientie ante Confessionem. Quanta debeat esse diligentia in eo faciendo. Exempla Virorum felices, ac debilis memoria. Peccata linguæ, cogitationum, & omissionum difficile reperiri in discussione conscientie. Quando sit valida confessio, omisso examine. Utrum valeat confessio facta non voce, sed exhibitione chartæ continentis peccata pœnitentis, genuflexi coram Sacerdote.

SUMMARIUM.

- 1 Examen conscientie quid sit? quomodo faciendum?
- 2 Examen conscientie quare præmittendum Confessionem?
- 3 Memoriam insignem quinam habuerint? Et qui infelicem?
- 4 B. Alberti Magni memoria deperdita. Ejus cadaveris prodigia.
- 5 Memoria felicitas, vel debilitas unde proveniat?
- 6 Sensus quatuor interni an dentur in homine?
- 7 Diligentia in examine Conscientie vel exactissima, vel mediocris, vel modicissima. Quæ sufficiat? Et quando?
- 8 Bonacina notatus circa examen Conscientie.
- 9 Confessariorum obligatio interrogandi pœnitentes rudes, ac idiotas.
- 10 Casus infirmi, qui statim confessus incidit in phrenesim, & in ea obiit.
- 11 Examinis conscientie fructus, & affectus.
- 12 Peccata, quæ in conscientia examine vix reperiuntur, quæ sint.
- 13 Omissionum peccata quæ, & quam periculosa.
- 14 Iudicia Dei severissima tria. Et quæ.
- 15 Confessio sine examine Conscientie quando sit valida, vel invalida.
- 19 Scribere peccata an obliuiscus teneatur.
- 20 Legens Chartam confessionis alterius peccat mortaliter. Eafudex nri non potest in foro externo.
- 21 Confessio per exhibitionem chartæ cum peccatis an fieri possit. Hinc inde opiniones. Et num. 22.

Quoniam in Decisione XIII. num. 1. diximus, materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ esse tres illos actus Pœnitentis. Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem; ibique explicuimus Contritionem, tanquam dolorem perfectum, & in sequenti Dec. XIV. declaravimus Attritionem, quæ est dolor imperfectus; subinde aggressi sumus explicationem secundi actus in Decis. XV. in qua abundè disseruimus de essentia, ac definitione Confessionis, post quam opus fuit de quibusdam dubiis, eam attingentibus tractare; videlicet Decis. XVI. an Confessio possit fieri publice, vel debeat esse secreta, Decis. XVII. An confessio ad aures Sacerdotis semper fuerit in usu. Decis. XVIII. Utrum absente Sacerdote possit fieri coram Laico non habente Claves à Christo datas Ecclesiæ, Decis. XIX. Quæ sint hæc Claves, & quibus sint datæ tam pro foro externo, quam pro foro interno. At Decis. XX. quomodo eadem se extendat ad Indulgentias. Igitur nunc, real-

reassumens eundem secundum actum Poenitentis, nempe Confessionem; (quam in *d. Decis. XV. num. 32.* requirere quatuor conditiones notavimus, videlicet, ut sit *Diligens, Integra, Fidelis, & Obediens*;) opus est, ut de diligentia agamus, quæ consistit in examine conscientiae, de quo quinque sunt videnda.

Primo: Quid sit examen conscientiae, & qua de causa sit Confessione Sacramentali præmittendum?

Secundo: Quanta debeat esse Poenitentis diligentia in examine suæ conscientiae?

Tertio: Quæ sint peccata, quæ ut plurimum non reperiuntur in conscientiae examine?

Quarto: An sit valida Confessio facta sine præcedenti examine?

Quinto: An qui labilem memoriam habet, teneatur scribere sua peccata?

Quo ad Primum. Examen conscientiae est discussio actionum vite nostræ in particulari, facta earum comparatione cum divinis præceptis, ut corrigamus ea quæ in illis mala esse deprehenderimus. Ita Reginaldus in *Praxi Fori Poenitent. lib. 4. n. 5.* ex qua definitione colligitur methodus servanda à poenitente, qui vult examen facere suæ conscientiae, ut scilicet examinet seipsum super observatione præceptorum tum Dei, tum Ecclesiae, ad hoc ut cognoscat, quæ peccata commiserit in eorum transgressione; & de quibus se accusare in Confessione debeat. Ulterius facienda erit reflexio ad septem peccata capitalia; discurrendo per ipsa; facilis enim est lapsus in illa, quando exactam sui ipsius custodiam homo non habet. Quod si quærimus qua de causa præmittendum sit examen conscientiae Confessione Sacramentali? dicendum est, ob duas causas. Unam, quia hoc examen est præceptum in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. in illis verbis: *Oportere à poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri.* Et post alia plura ibidem: *Constat enim nihil aliud in Ecclesia à poenitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientia sua sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur.* Alteram, quia cum per peccatum Adæ homines fuerint spoliati donis gratuitis, & vulnerati in naturalibus; hoc, inter alia vulnera, quisque experitur, infirmitatem memoriæ, & deficientem reminiscenciam; unde signanter scripserit Erasmus in *Apoph. Memoria hominum adeò labilis est, ut agrè reperias duos, qui quæ simul audierunt, eodem modo referant.* Non inficior, multos fuisse viros prodigiosæ memoriæ; nam, ut disserit Plinius *lib. 7. cap. 24.* Cyrus Rex omnibus in exercitu suo militibus nomina reddidit. L. Scipio populo Romano; Cineas Pyrrhi Regis Legatus Senatui, & equestri ordini Romæ postero die, quam advenerat. *Mitridates duarum, & viginti gentium Rex, totidem linguis jura dixit.* Et alios plures refert ex probatis auctoribus Schottus in *Physica Curiosa lib. 3. cap. 39.* quorum alii totam Scripturam Sacram memoriter recitabant; alii multa millia vocabulorum tam recto, quam retrogrado ordine proferebant; & eosdem, ac confimiles memorat etiam Menochius in *Storis part. 3. cap. 59.* quibus addendus Marcus Monachus in Ægypto, qui feliciter in memoria retinebat utrumque testamentum, vetus ac novum, ut in ejus vita notat Hieronymus à Basilica Petri in *Epemerid. Sacris, die 5. Martii pag. 82.* Quamvis è contra plurimos fuisse memoria destitutos legamus, Doct. Clericali Tom. 1. Lib. IV.

quos recenset idem Schottus *d. cap. 35.* inter quos Messala Corvinus, qui ex ægitudine, non tantum propinquorum, & servorum, sed & proprii nominis est oblitus; nec non Cornelius Jansenius (ille qui Commentaria egregia in Sacram Scripturam edidit) nam & ipse factus senex omnium litterarum perdidit reminiscenciam: cui similis fuit B. Albertus Magnus, de quo Bagatta in *Admirand. Orbis Christi. rom. 2. lib. 6. cap. 1. num. 17.* hæc habet: *Cum Albertus Magnus admodum senex de more profiteretur publice, memoria lapsus est; cumque aliquandiu reticisset, & omnes obstupescerent, resumpto tandem animo sari cepit, & hujus causam exposuit; nempe hoc sibi imminenti mortis presagium; cum enim dum esset adolescens à B. Virgine miraculosè scientiam obtinisset, ab eadem signum futurae mortis habuit, futurum scilicet, cum instaret sibi obitus, ut dum proficeretur, subito in memoria lapsum incurteret.* Auditoribus igitur, his dictis, vale dato, & ex eo loco abiens, ad mortem separavit. De eodem autem Magno Doctore non est tacendum, quod idem Auctor *d. lib. 6. cap. 2. n. 8.* subdit videlicet, *Cum sepulchrum ejus fuisset apertum post multum temporis ab obitu ipsius, repertum est cadaver ejus non supinum, sicut fuerat collocatum, sed genibus innixum in modum supplicis, & preces ad Deum facientis.* Prout etiam addendum id, quod ponit *d. lib. 6. cap. 3. n. 102.* hoc est, post ducentos annos à die obitus integrum, & incorruptum repertum fuisse corpus ejusdem B. Alberti Magni. Quæ sint obiter dicta circa defectum memoriæ, ac reminiscenciae.

Porro scilicet, unde proveniat tum fecunditas, tum debilitas memoriæ? responderi potest tripliciter, nempe Philosophicè, Medicè, ac Morali-ter. Secundum Philosophos, quia memoria est tanquam charta, in qua imaginativa scribitea, quæ audit, vel intelligit. At sicut scriptor aliquando ita leviter, seu velociter scribit in papyro, ut completa scriptura vix litteræ videntur, & cum difficultate leguntur; aliquando verò tam appositè, ac studiose in ipsa charta litteras format, ut deinde facillimè semper legantur; pari modo imaginativa hominis aliquando ita levis, aut velox est in imprimendis rebus in memoria; ut earum agrè homo recordetur; nonnunquam autem eas imprimit tanto studio, & attentione; ut fecunda sit, & abundans memoria in reminiscendis illis. Ita Alexander Tallonius *Cogitat. divers. lib. 6. quæst. 1.* Secundum Medicos, quia hi sequentes communem Thomistarum opinionem, quod homo, præter quinque sensus externos ad intelligendas species, habeat etiam quatuor sensus internos, nempe Sensum communem, Phantasiam, Estimativam, ac Memoriam. Colleg. Compluten. *lib. 3. de Anima disp. 14. quæst. 1. & seqq.* autumant (inquam) Medici, in cerebro humano esse quatuor sinus, seu cellulas, in quibus resident prædicti interni sensus; & quoniam humiditas juvat memoriam, siccitas eam destruit, hinc cellula memoriæ, existens in occipite, quia in juventute habet multum humiditatis; in senectute remanet in siccitate, operatur, ut Juvenes polleant memoria, senes autem careant. Maurus in *Arist. rom. 4. De Memoria, & Reminisc. cap. 2.* & Mastrius in *lib. de Anima. disp. 5. num. 288. & 291.* Caterum, quia Scotistæ negant existentiam prædictorum quatuor interiorum sensuum, ut docet Maurus *d. disp. 5. art. 5.* & volunt memoriam esse potentiam Animæ rationalis, quæ reminiscitur rerum, & specierum absq; usu interiorum sensuum, organorum vè cerebri, ut probat idem Mastrius *de Anima disp. 6. num. 88.*

num. 88, auctoritate Evangelii *Luc. 16.* ubi anima Epulonis à corpore separata recordabatur fratrum suorum, & Abraham Lazari, sine ministerio materialis cerebri, ejusve cellularum, ideo Medica responsio parum adducit ad veritatem. Moraliter respondet Aresius in *tract. de tribulat. sent. 27. n. 28.* quod naturaliter homo obliviscitur delectationes, & retinet in memoria tribulationes; idque exemplificat in Patriarcha Jacob dicente Pharaoni: *Dies peregrinationis vita mea parvi, & mali. Genes. 47. 9.* habuerat enim multas felicitates, nuptias Rachelis, armenta plurima, benedictionem Angeli, visionem schalæ summum Cælum attingentis; & de his, ac aliis non recordatur; sed tantummodo afflictionis ob deperditum filium Joseph. Quidquid sit, labilis est memoria nostra; & diligenti examine opus est, ut ritè, & rectè accedamus ad Sacramentum Pœnitentiæ, nos ipsos de peccatis nostris accusaturi; ut integra sit Confessio, & pareamus præcepto Sacrosancti Concilii Tridentini, de quo in *d. Jess. 14. cap. 5.*

Quo ad Secundum, in quo quæritur: *Quanta debeat esse Pœnitentis diligentia in examine sue Conscientiæ?* Respondetur, dari non posse Regulam generalem pro omnibus pœnitentibus, sed juxta eorum diversitatem meriti oportere diligentiam. Igitur dicendum est, aliquando requiri examen exactissimum, aliquando mediocre, aliquando modicissimum. Opus est exactissimo conscientiae examine in duobus casibus; *Primò*, dum ab ultima Confessione defluxit longum tempus, puta unius, vel plurium annorum. *Secundò*, quando pœnitens absque Dei timore vixit; pluribus negotiis illicitis se immiscuit; & fuit *abominabilis homo, bibens quasi aquam iniquitatem. Job. 15. 16.* In his duobus casibus manifestum est unicuique, præmittendum esse exactissimum conscientiae examen circa omnia præcepta Dei, & Ecclesiæ; & circa omnia peccata capitalia; ut species, numerum, accircumstantias peccatorum cognoscere, & confiteri pœnitens possit, ut omnes Theologi advertunt. Collegium Salmanticens. *de Sacramentis in genere tract. 6. cap. 6. num. 4.* Mastrius in *4. lib. Sent. disp. 5. num. 478.* & in *Theologia Morali disp. 21. n. 177.* Gobatus in *Theolog. Exper. tract. 6. num. 486.* & Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 5.* Quapropter cautè est legendus Bonacina de *Sacrament. Pœnitent. disp. 5. quest. 5. sect. 2. punct. 2. §. 1. num. 3.* scribens, quod qui mediocrem prestitit diligentiam in indagandis, & inquirendis propriis peccatis, non teneatur majorem inquisitionem adhibere etiam si probabiliter conjiciat fore, ut facta proluxissima inquisitione occurrerent aliqua peccata ejusdem rationis, cum iis, quæ tunc in mentem venerunt. Siquidem si in hoc examine peragendo ea diligentia, & inquisitio ab unoquoque adhibenda est, quam faceret circa negotium arduum, quod ipsi multum cordi esset, ut explicuit Scotus in *4. dist. 17. q. Unic. art. 2.* vel quam adhiberet in aliis rebus magni momenti discutiendis; ut ex Coninck, & aliis firmat Collegium Salmanticens. *d. lib. 6. cap. 6. n. 4.* & Mastrius *d. disp. 5. num. 478.* Quis est homo, qui in propria lite, concernente amissionem magnæ partis suorum bonorum, postquam perquisiverit, & repererit aliquas scripturas ad se defendendum; si probabiliter opinetur alias reperire, non perseveret in inquirendo illas? Vel quis negotiorum gestor, redditurus rationem exactarum pecuniarum domino suo, si post diligentem inquisitionem ex-

pensarum per eum factarum, probabiliter conjiciat, majorem diligentiam adhibendo, fore ut alias expensas jussu Domini factas reminiscatur; non insisteret in inquisitione, ut diminuat in computis debitum suum? Ubi igitur in confessorio concurrit diuturnitas temporis ab ultima Confessione, vel implicatio in pluribus vitiis, vel negotiis illicitis, opus est exactissimo examine conscientiae, ut benè dispositus accedat ad Pœnitentiæ Sacramentum, ut doctè disserit Segnerius in *Christiano Instructio. part. 3. serm. 16. num. 4.*

Mediocre conscientiae examen sufficit in Pœnitentibus illis, qui pluries confitentur in anno; & morigeratam vitam ducunt; itaut hi facta reflexione ad latebras conscientiae per horæ circiter quadrantem, satis censeantur se examinasse; & non teneantur ad ultra, ut ex Eminentiſſ. Cardin. de Lugo *disp. 16. num. 591.* ac ex Suárezio *disp. 22. sect. 11.* deducit Gobatus *d. tr. 6. nu. 490.* & 491. ubi hæc duo carmina notat:

Ultra posse meum non lex me justa coegit;

Nec putat esse reum, qui totum posse peregit.

Modicissimum conscientiae examen sufficit in duobus casibus. *Primò*, quando pœnitens est timoratus & solius frequenter confiteri; hic enim si mortaliter peccaret, ob oculos certè peccatum semper haberet. Tamburinus in *Decalog. lib. 1. cap. 3. cap. 8. num. 9.* & Gobatus *d. tract. 6. n. 488.* *Secundò*, quando pœnitens accedit ad Confessarium doctum, & pium, à quo scit, se esse interrogandum de peccatis, & his interrogationibus adjutum conscientiam suam integrè esse expiaturum. Communis est enim Theologorum sententia, quod Confessarii nacti pœnitentem non satis paratum, teneatur examinare illum, & proponere species peccatorum, ab ipso quidem probabiliter admissorum; ut reminiscatur, & confiteatur, ut latè Gobat. in *Theol. Experim. tract. 7. n. 331. & 332.* Reginaldus *lib. 2. cap. 2. à num. 13. & seqq.* ubi probat hanc obligationem Confessoriorum interrogandi pœnitentes, potissimum rudes, & idiotas non bene paratos per textum in *cap. 2. §. Diligens. de Pœnit. dist. 6.* & in *cap. Omnis utriusque sexus. §. Sacerdos. de Pœnit. & Remiss.* Navarrus in *Comment. ad cit. §. Diligens. num. 7.* & in *Manuali cap. 5. num. 2.* Angelus in *Summa. Verb. Interrogationes in princ.* qui tenent, Confessarios non supplentes cum suis interrogationibus ignorantiam, vel deficientiam examinis pœnitentium, peccare mortaliter; idemque plenissimè probat Eminentiſſ. Cardin. de Lauræa de *Sacramento Pœnitent. disp. 21. art. 3. per tot.* Et quamvis aliquando possint Confessarii dimittere pœnitentem absque absolutione, si eum non examinasse conscientiam suam comperiant; melius tamen est, cum charitate eos interrogare, eorumque defectum supplere, præcipuè si sint rustici, vel artifices parum industrii circa discussionem propriæ conscientiae, aliàs vel deterri ti inconfessi stabunt; vel absque meliori dispositione ad alium Sacerdotem ibunt, à quo forsan invalidam absolutionem reportabunt.

Referam, quod mihi accidit in primordio mei Sacerdotii, in quo Parochi valdè senis hujus nobilissimæ Ecclesiæ S. Petri de Padua vices supplebam. Revertebar à Palatio Episcopali domum hora primæ noctis, hyemali tempore, & quendam Parochianum obvium habui, qui dixit mihi, filium suum annorum 22. circiter infirmari. Volui statim eum invisere; & reperi ardentissima febre eum laborantem;

rantem; quem solatus interrogavi, à quo tempore non esset confessus peccata sua? Respondit, à biennio, & ultra. Cum hoc audissem, vehementer in corde inspirationem habui, ne inde discerem, nisi ejus Sacramentalem Confessionem audirem; ad quam blando, sed serio sermone illum excitavi. Se excusabat, quia examen conscientiae non fecerat. Subjuxi, si doleas medullitus de peccatis cum proposito emendationis; ego, te interrogando, examine supplebo. Annuit infirmus, & spatio duarum horarum exomologesim pie complevit, & à me fuit absolutus; hortatusque ad intensum Sacri Viatici, & extremae Unctionis desiderium, si infirmitas illa esset ad mortem. Petii domum, cœnavi, & cubitum mihi; At media nocte vocor ab ejusdem infirmi genitore, ut revertar ad illum, nam phrenesi comprehensum in lecto retinere non poterat. Accessi, cumque inveni extra mentem, sibilantem, & cantantem, neque me cognoscentem; & factò manè, Oleo Sancto munitus in eadem phrenesi expiravit. Millies humillimas Deo gratias egi, quo me inspiraverit, antecedenti vespere ejus Confessionem excipere; ne anima illa periret. Discant Parochi, ac Confessarii moras rumpere, & suis interrogationibus supplere, ubi Confessiones peccatorum audiendi occasio venit.

Revertendo ad materiam examinis conscientiae, fructus, & effectus ejusdem examinis est, ut eo adhibito, cum enarrata diligentia, juxta qualitatem poenitentium supra expressam, confessio est formaliter integra, ac valida, etiam si ex defectu memoria tacerent unum, vel plura mortalia, ut declarat Concil. Trid. cit. sess. 14. cap. 5. his verbis: *Reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, universim eadem Confessione inclusa intelliguntur*; & advertebat Gobatus d. tract. 6. num. 336. & seqq.

Quoad Tertium. Si quaerimus, quae sint peccata quae ut plurimum non reperiuntur in conscientia examine? Respondetur, ea esse trium generum, lingua, malarum cogitationum, & omissionum. Peccata lingua sunt detractiones; detractio autem est ablatio famae alterius. Reginald; lib. 24. num. 68. quae quidem juxta doctrinam Soti lib. 5. de justit. & iure, quaest. 10. art. 1. in fin. committitur octo modis, his verbis contentis:

Impoens, augens, manifestans, in mala vertens, Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remisit.

Quorum versuum, seu modorum detrahendi famam explicationem lector reperiet apud Toletum in Summa lib. 5. cap. 64. & seqq. apud Summam Dianam Verb. Detractio; & apud eundem Reginaldum d. lib. 24. cap. 4. quaest. 1. & 2. Porro quis novit invenire species, numerum, & circumstantias detractionum, quas per integrum annum, ex gr. à die ultimae Confessionis protulerit; cum verba ex ore obloquentium, ac detractorum exeant absque ulla reflexione, & tanquam velocissimae sagittae ex arcu, ut ait Regius Pfalter Psalm. 10. 2. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde? Appellatione autem peccatoris per Antonomastiam, intelligitur, detractor, lingua sua famam proximi ladens, juxta illud Psalm. 108. 1. Quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversum me lingua dolosa. Ideirco periculosissima sunt haec peccata linguae, ob difficultatem ea reperiendi in examine conscientiae atque illa confitendi; & eorum causa plurimi dam-

nantur; unde ait Ecclesiast. 28. 3. *Attende, ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum infidantium; & sit casus tuus insanabilis in mortem.* peccata malarum cogitationum pariter in examine conscientiae non adveniuntur, tum ob eorum multipliciter; quam innuit Salvator in illis verbis: *Matth. 15. 19. De corde exeunt cogitationes male, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia;* haec enim omnia crimina solo desiderio, & interno affectu committi possunt & à male cordatis hominibus committuntur, tum ob difficile emendationem ex habitu, & consuetudine praebendi consensum iisdem, unde ait Concilium Trid. d. sess. 14. cap. 5. loquens de malis cogitationibus: *Nonnunquam animam gravius sauciant, & periculosiora sunt iis, quae manifeste admittuntur.* Propterea plurimae Confessiones invalidae sunt, quia de peccatis malarum cogitationum homines non se accusant; & ideo non se accusant; nam ad eas non reflectunt in examine conscientiae, neque audiunt Prophetam dicentem: *Convertimini de viis vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis.* Zacch. 1. 4.

De peccatis autem omissionum imperfectissimum est examen conscientiae; liquidem ad ea homines non reflectunt, cum non consistant in facere, sed in omittendo; & ut ait Sanctus Thomas 1. 2. qu. 71. art. 5. in corp. *Ipsum non facere, quod quis facere, tenetur peccatum est.* Duo sunt genera culparum omissionis; unum contra justitiam, alterum contra charitatem. Peccata omissionis contra justitiam praecipue sunt in illis de quibus competit praetatio, ac regimen aliorum; hinc Pastores Ecclesiarum peccant omittendo visitationes earundem, convocationes synodales, non audiendo Vicarios suos distribuendo beneficia in immeritos, & benemeritis non dando; non inquirentes scandala, & peccata plebis, nec corrigendo inconfessos, ac male viventes; non curantes de injustitiis, aut negligentis suorum ministrorum; & alia proprii muneris officia non adimplentes. Parochi similiter plura peccata omissionis solent contrahere, & non advertere ad illa; non praedicando; non docendo populum doctrinam christianam; neque Sacramenta, nisi in solemnioribus diebus administrantes. Idem Patres familias non corripientes filios praveos, uxores vanoquas. Judices non punientes delicta. Advocati causarum meritis non studentes. Procuratores earum expeditionem non sollicitantes. Medici infirmorum curam parum satagentes; hi enim omnes peccata censentur contra justitiam directivam, distributivam ac vindicativam ex omissione; ut bene advertit Eminentiſſ. Cardin. de Lauræa in 3. Sent. tom. 2. De Virtutibus in genere disp. 22. art. 17. §. Unic. & disp. 24. art. 7. ubi probat Superiores distribuentes officia, vel beneficia indignis, vel minus dignis omiſſis dignioribus, teneri ad restitutionem, quia peccatum omissionis committunt contra distributivam justitiam: quod etiam docuerunt S. Thomas 2. 2. qu. 62. art. 2. & ibi Cajetanus, Guttierrez Canonic. Q. Q. libr. 1. cap. 11. num. 55. Vasquez. in Opusc. de benefic. cap. 2. §. 3. num. 117. & Diana alios cumulans, part. 4. tr. 4. res. 210. Quae sedem occupat in opere Coordinato tom. 8. tract. 7. resol. 54. Igitur si haec verba sunt, prout verissima à DD. esse censentur, nonne peccata omissionis difficile reperiuntur in conscientiae examine? Utique difficile; nam, ut experientia comperimus, plurimi sunt, qui frequenter omissionis peccata committunt, & raro illa confitentur; teste Segnerio in Christ. In-

struct. part. 1. Sermon. 5. num. 13. Peccata autem omissionis contra charitatem committuntur à divitibus non facientibus de bonis superfluis elemosinam egenis, ut plenè differimus *supra Decis. X.* circa quod omissionis peccatum satis sit notare dictum S. Bernardini Senentis de *Christ. Relig. Sermon. 11.* Tria, scilicet, esse Dei tremenda Judicia, & severissimas punitiones, *Unam* ab initio mundi contra Superbiam Angelorum, quos præcipitavit in tartara; *alteram* contra luxuriam hominum, quos extinxit universali diluvio; *tertiam*, quam faciet in fine mundi ob peccata omissionis contra charitatem; quando abjiciet à se damnatos, dicens, *esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me.* *Matth. 25. 42.*

Quo ad Quartum Quæsitum: *An sit valida confessio facta sine precedenti examine?* Respondetur, distinguendos esse duos Casus. *Primus* est, quando ex defectu examinis confessio non est integra, & fuit omittum unum, vel plura peccata; & in hoc casu absque difficultate Confessio non est valida; ac omnino venit repetenda; quia integritas quo ad numerum, ad species & ad circumstantias illas mutantes, est de essentia confessionis, ut ostendimus *infra Decis. XXIII.* & definitum est in *cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss.* In Concilio Florent. in *Decret. Eugenii IV.* & in Concilio Tridentino *d. sess. 14. cap. 5.* Emin. Card. de Lauræa de *Pœnitentia disp. 12. art. 1. num. 11. & seqq.* Et deficiens integritas neglecto examine conscientie censetur venire ob gravem culpam pœnitentis, & facit Confessionem nullam, ut omnes DD. testantur; & in puncto resolvit idem Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 12. art. 9. num. 197.* *Secundus casus* est quando nullum prorsus factum fuit examen conscientie, nihilominus confessio fuit integra, & nullum fuit omittum peccatum; & in hoc casu, quem à nullo auctore propositum inventi, nisi ab ipso Eminenti. Cardin. de Lauræa *d. disp. 12. art. 9. §. 2. num. 203.* Respondet Eminentia sua, Confessionem esse invalidam, ac prorsus repetendam. Ratio responsionis est, quia licet talis pœnitens absque præcedenti examine confessus sit omnia peccata commissa, non est confessus peccatum mortale ab eo patratum, accedendo ad Confessionem non præmissum diligenti examine, quod sub præcepto & sub Pœna peccati mortalis est præmittendum ex decreto Concilii Tridentini *d. sess. 14. cap. 5.* Nec excusari potest, quod confessus sit cum integritate, quæ est finis Præcepti, à quo ordinata est præcedens discussio conscientie; nam per accidens integraliter fuit confessus, at quantum ad se ipsum se exposuit periculo committendi Sacrilegium, & omittendi accusationem alicujus peccati; qui autem exponit se periculo peccandi, peccat; etiam si per accidens postea impediatur à peccando.

Hæc opinio videtur rigorosa, quia non peccat in legem, qui adimplet substantiam legis, et si non servet modum à lege præscriptum. Bonacina de *Legibus tom. 2. disp. 1. qu. 1. punct. 9. num. 2.* Sed Concilium Tridentinum in *cit. sess. 14. cap. 5.* in substantia præcipit integritatem Confessionis, quæ intervenit in hoc secundo casu, quamvis non servatus sit modus præscriptus ad eam consequendam, scilicet diligens examen conscientie. Prout etiam in omni lege satis est ejus mentem servare, l. *Scire*

leges ff. de legib. Menochius conf. 202. num. 6. Sed mens Concilii in præcipienda discussione conscientie ante Confessionem fuit, ut hæc esset integra, & nullam omitteretur mortale peccatum. Igitur, qui de omnibus peccatis se accusat, & integrè confitetur, licet conscientiam non examinaverit, validam facit Confessionem. Ulterius cessante ratione legis positivæ, ac ejus sine adæquato in aliquo casu particulari, cessat ipsa lex pro eo casu. Abbas in *cap. Quia in Insulis num. 2. de Regular. Angelus. Verb. Lex. num. 4. casu 7. Sæ eod. Verb. num. 1. & Verb. Ludus num. 1.* Tamburinus in *Decalog. libr. 2. cap. 1. §. 7. num. 38.* Diana plures DD. cumulant *part. 1. tract. 10. resol. 28.* Item *part. 5. tract. 14. resol. 96.* Nec non *part. 7. tract. 10. resol. 33.* Quæ omnes repositæ sunt ab Auctore ejus Operis Coordinati *tom. 6. tract. 1. resol. 70. 71. & 72.* Ergo in prædicto casu, cum pœnitens faciat integram Confessionem, & cesset ratio dimidiationis suatum culpæ, ob quam à Tridentino Concilio fuit ordinatum examen conscientie, dicendum videtur, validè recepisse Pœnitentiæ Sacramentum; & esse bene absolutum; nec amplius teneri ad novam Confessionem eorundem peccatorum.

Nihilominus tanti Auctoris (qualis est Eminenti. Cardin. de Lauræa) non audeo impugnare opinionem; sed tantummodo eam declarare, ut procedat; vel quando longum decurrisset tempus post ultimam antecedentem illius pœnitentis Confessionem; itaut se exposuisset manifesto periculo dimidiandi hanc novam Confessionem, & committendi Sacrilegium, ob non præmissum diligens conscientie examen; hæc enim esset culpa mortalis ponens obicem, & impediens gratiam, ac effectum Sacramenti. Vel quando Confessarius neque expressè neque tacitè novisset, ab ipso pœnitente nullam præmissam conscientie examinationem; & sic subesset idem periculum faciendi sacrilegam Confessionem. Quandoquidem, è contra, quando Confessarius scivisset, non præcessisse examen, vel quia de hoc interrogasset pœnitentem; (ut facere solent prudentes Ministri hujus Sacramenti) vel quia id sibi persuasisset ex qualitate externa pœnitentis, quia esset vel rusticus, vel idiota, vel manifestus ignorans hujus obligationis; & illum non recusasset audire, animo supplendi suis interrogationibus, & illum juvandi ad integraliter constituenda peccata, idque peregrisset; in hoc casu dicendum est, validam fore ejusdem pœnitentis Confessionem ex communi Theologorum doctrina, quod possit Confessarius supplere non discussæ conscientie per suas interrogationes; & ex his validum remanere Sacramentum; ut quilibet legere potest in Reginaldo *libr. 4. num. 12.* in Navarro *ad cap. Fratres num. 75. de Pœnit. disp. 5.* in Bonacina de *Pœnitent. Sacram. tom. 1. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 1. n. 7.* ubi plures alios allegat. In Emin. Cardinali de Lugo *eod. tract. de Pœnit. disp. 16. num. 593.* ubi commendat Confessarios, qui pœnitentes rudes ac ignaros, coram se accedentes non præparatos, non dimittunt; sed illos adjuvant suis interrogationibus, non absque magno merito apud Deum ob multam patientiam & charitatem in recipiendis talium rudium personarum Confessionibus, ut sciunt, qui in sedibus Confessionalibus morantur.

Quo ad quintum, & ultimum quæsitum, *An qui labilem memoriam habet, teneatur scribere sua peccata?* Respondent communiter DD. negativè, ea ratione, quia hæc diligentia est nimis extraordinaria, atque

atque exposita nimis manifesto periculo infamationis propria; & nullum Præceptum reperitur de scribendis peccatis, sed solum de iis rememorandis per diligentem conscientiae examinationem. Bonacina d. tom. 1. de Poenitent. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 1. num. 4. Castropalaus tract. 23. disp. Unica. punct. 10. num. 3. Collegium Salmanticens. de Sacram. in genere d. tract. 6. c. 6. n. 6. & Gobatus in Theol. Experim. d. tract. 6. num. 515. & seqq. ubi addit, quod si quis more priscorum Anachoretarum velit in Papyro suos defectus conscribere, ut de eis securius possit se accusare, non est reprehendendus. Data vero huiusmodi scriptura, duæ ex illa insurgunt observationes. Una est, quod si quis reperiret dictam chartam, & legeret, peccaret mortaliter, etiamsi in ea conscripta essent solum peccata venialia; quamvis fuisset etiam lacerata, & foras projecta; & aliquis colligeret, ac combinaret fragmenta, eaque combinata legeret. Gobatus d. tract. 6. num. 517. Imò si Iudex per hanc scripturam deveniret in notitiam alicujus flagitii, vique ejusdem extorqueret à Reo Confessionem, & procederet ad punitionis Sententiam, teneretur eam rescindere, & totum processum abolere; ea ratione, quia Confessio Sacramentalis, & manifestatio delictorum ejus intuitu facta non probat in Judicio. Mascard. de Probationib. conclus. 377. num. 1. & 2. ubi DD. Et alii plurimi, quos cumulat, & sequitur Diana part. 3. tract. 4. resol. 111. alias 112. nec non part. 5. tract. 11. resol. 27. quas studiosus Lector, habens Dianam Coordinatum, reperiret in tom. 1. tract. 8. resol. 42. & 43. Observatio Secunda est, quod hi, qui scribunt peccata sua in charta, possunt genuflexi ante Confessarium, ei illam legendam tradere, dicendo, *confiteor omnia, quæ hic scripta sunt, & cæcæ absolvi valent, ut ex doctrina Eminentiss. Cardin. de Lugo de Poenitent. disp. 15. à num. 80. & seqq. docet idem Gobatus d. tract. 6. num. 520. usque ad num. 525.*

Cæterum contratalem methodum consistendi ita scribit Emin. Card. de Lauræa disp. 10. de Poenitentia art. 5. num. 67. Salya pace, contrarium mihi videtur dicendum. 1. Quia si hoc asseratur, facile invenietur maxima fidelium copia, & puellarum præcipue, quæ hac dispensatione vellet uti. 2. Quia cum notum non sit, cujus gradus, aut magnitudinis debeat esse verecundia, facillimè quibusque sibi caminesse existimabit, & paucis post annis vocalis Confessio non erit in usu. 3. per Doctorem præfatum scilicet Cardin. de Lugo) num. 86. est grave, & mortale peccatum, morem hunc in Ecclesiam inducere; quia contra consuetudinem communem: Ergo non facile sunt admittendi casus de permittenda Confessione per scriptum. Mastr. quoque in 4. Sent. disp. 5. q. 17. n. 472. ita scribit: Non omnino approbo, licet sua probabilitate non careat, quod docet Lugo disp. 15. sect. 5. num. 80. sufficienter debito suo satisfacere poenitentem etiam voce pollentem, qui data prius scriptura Sacerdoti, quam legat, in qua continentur peccata, post illam lectam subjungit per voces: de his omnibus me accuso, quia jam ore confitetur, quantum satis est, neque enim necessarium videtur, inquit quod per voces intra Sacramentum explicet omnino peccatum. Hoc, inquam, omnino approbare non possum, quia nulli dubium est, poenitentem magis verecundari peccata sua per voces explicando, quam per scriptum, ut enim fert commune adagium, Littera non erubescit. Cum ergo verecundia sit pœna à Christo inventa in hujus Sacramentum institutione, hac non est minuenda, si nul-

adeest necessitas, ut est in casu proposito. Idem sentit Reginaldus lib. 6. num. 81. ubi allegat S. Thomam in Quodlibet. 1. art. 10. docentem, debere poenitentem propriis verbis peccata sua confiteri, nisi sit lingua, aut voce impeditus; cui ego addo textum in cap. Quem poenitet. 88. de Poenit. dist. 1. in quo dicitur, quod in Confessione peccata non per nuncium, non per scriptum sunt manifestanda; quod notatum etiam est supra Decis. XV. num. 21. ubi proscripta fuit hæc methodus confitendi. His bene convenit, quod ex relatione Cæsarii lib. 5. cap. 29. refert Magrius in Hierolexic. Verb. Sufurrium. Aliquando scilicet Dæmonem ex contemptu vocasse Confessionem Sacramentalem Sufurrium, quia cum fieret per vocem secretam ad aurem Sacerdotis, videtur in ejus aures susurrare, unde resultat confirmatio doctrinæ, quod Confessio absque magna necessitate non est facienda scripto, sed voce.

DECISIO XXII.

SUMMARIUM.

Mutorum diversitas, ac Mutitatis quatuor causæ ex fonte Medicinæ extractæ declarantur. Muti an possint contrahere matrimonium? Profiteri in Religione? ac alia publica officia agere? ex Jurisprudentum dictis ostenditur: nec non ex Historia tum Sacra, tum Profana plurimum Mutorum exempla referuntur. Hi quomodo possint, ac debeant sua peccata confiteri? Deciditur, & refertur casus curiosus, sed periculosus Muti ab Auditore reperti in Visitatione Patavinæ Diocesis.

SUMMARIUM.

- 1 Muti, Astomi, Brachistomi quinam sint?
- 2 Muti alii à nativitate; Alii post usum loquæ ob infirmitatem.
- 3 Mutorum à nativitate quatuor species.
- 4 Aurium interior structura declarata.
- 5 Auditus Organum in quibus consistat?
- 6 Muti cur alii ingenui; alii semistolidi?
- 7 Muti ex infirmitate qui?
- 8 Muti an possint contrahere Matrimonium? Profiteri in Religione? eligere sibi sepulturam? An esse testes, vel iudices?
- 9 Mutorum exempla in Scriptura Sacra.
- 10 Lingua abscissa Catholici articulate loquuntur.
- 11 Leoni Papa III. oculi, & lingua miraculose restituta.
- 12 Mutus à nativitate, qui futura pravebat. Alii summi ingenii; alii ludentes; ad invicem disputantes.
- 13 Muti scientes scribere, possunt sua peccata in schedula Confessario exhibere. Sed an sint obligati ita confiteri?
- 14 Muti à nativitate nutibus, ac gestibus debent confiteri sua peccata.
- 15 Mutorum trium, quorum Confessiones Auditor audit in Visitatione Diocesis Patavinæ. Unus ex illis acumen mentis; & casus curiosus, sed periculosus.

Atenta igitur Scotistarum doctrina, quod Confessio Sacramentalis ex Christi institutione debeat esse vocalis; & ex Ecclesiastica traditione,